

41. *Opera legis* significant omnia omnino opera, quæ in divina lege præcepta sunt, sive morali, sive ceremoniali, sive forensi.

42. *Exclusiva (sola fide justificamur)* constanter retinenda & defendenda est.

43. Causæ igitur justificationis sunt: Gratia DEI, Christi meritum, hoc est, tota obedientia; activa simul & passiva, quam vocant: Fides

44. Forma justificationis est applicatio justitiæ Christi, quæ fit fide: Sive imputatio fidei, sive imputatio justitiæ per fidem.

45. *Fides justificans* est omnino viva, vita tamen, quæ in justificatione utitur, merè consistit in actuosa totius cordis & voluntatis in Christo recumbentia, licet mox post justificationem bonorum operum productione alio modo sese vivam demonstret. Gal. II. 20. Cant. III. 4. Gal. V. 6. Jac. II. 17. *

46. *Fides & charitas*, maxime differunt, adeoque male definitur charitas, quod sit ipsa fides. *

47. *Fidei justificantis formam*, ipsum esse Christum, cum Luthero nostro statuere non veremur. Phil. I. 25. Gal. II. 20. *

48. Corâ Peccatorum sordibus purgari debere ante ipsam fidem justificam, contradicit Scripturæ Act. XV. 9. *

49. Ubiunque vera fides in corde, ibi necessario experitur homo, licet non semper æquali gradu, ipsius Christi adversus peccata virtutem, Rom. VI. 14. *

50. In *Unione Mystica* per solam fidem Christus in nobis habitat absque essentiali hominis mutatione, hinc omnis Deificatio aut Christificatio merito rejicitur. Eph. III. 17. *

51. Cum certum sit, quod justificatio stricte sic dicta unionem Mysticam præcedat, hinc male dicitur, unionem hanc esse omnium gratiæ actuum principium. *

DISPUTATIO XVI.

De Renovatione & Bonis Operibus.

I. Cum per bona opera fides vera & viva cognoscatur, & discernatur ab hypocrisi & vana fidei simulatione, teste Apostolo, & fides sine operibus mortua sit, Jac. II. 17. & ult. Post doctrinam de justificatione recte sequitur locus de bonis operibus.

H

2. Prin-